

Verecundia c
cum fonte primo

Est enim uerecundia pudicitie comes
cuius societate castitas ipsa tutior est.

Nonne hec pretulit publicanum et
commendauit eum qui nec oculos suos
audebat ad celum leuare?

Paulus orationem deferri
precepit cum uerecundia et sobrietate.

Ambrosius ibidem (de officiis libro I).

Est enim uerecundia pudicitiae comes,
cuius societate castitas ipsa tutior est.
Bonus enim regendae castitatis pudor est
comes qui si praetendat et quae prima
pericula sunt, pudicitiam temptari non
sinat. Hic primus, in ipso cognitionis
ingressu, Domini matrem commendat
legentibus et tamquam testis locuples,
dignam quae ad tale munus eligeretur,
adstruit: quod in cubiculo, quod sola,
quod salutata ab angelo tacet et mota est
in introitu eius, quod ad uirilis sexus
speciem peregrinatur aspectus uirginis.
Itaque quamuis esset humilis, prae
uerecundia tamen non resalutauit nec
ullum responsum retulit nisi ubi de
suscipienda Domini generatione
cognouit, ut qualitatem effectus disceret,
non ut sermonem praeferret. In ipsa
oratione nostra multum uerecundia
placet, multum conciliat gratiae apud
Deum nostrum.

Nonne haec praetulit publicanum et
commendauit eum qui nec oculos suos
audebat ad caelum leuare?
(cf. Luc. 18:9-14). Ideo iustificatur
magis Domini iudicio quam ille
pharisaeus quem deformauit
praesumptio. Ideoque oremus *in*
incorruptione quieti et modesti spiritus
qui est ante Deum locuples, ut ait Petrus.
Magna igitur modestia quae cum sit
etiam sui iuris remissior, nihil sibi
usurpans, nihil uindicans et quodam
modo intra uires suas contractior, diues
est apud Deum apud quem nemo diues.
Diues est modestia quia Dei portio est.
Paulus quoque orationem deferri
praecipit cum uerecundia et sobrietate
(I Tim. 2:9).

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 1,
18 (CCSL 15, M. Testard ed., pp.25-6,
ll.19-41).